tractari Census et utilitates omnes ex bonis eorum venientes percipien ipsas pupillas ad annos usq ultimae aetatis educandi, et tandem honeste elocandi. Ita tamen ut posteaquam eadem pupillae ad annos aetatis suae pervenerint, maritisq elocatae fuerint eis de omnibus bonis bonorumq emolumentis rationem sufficientem reddere teneantur iure consanguineorum salvo si qui tpre eisdem Turosii Iwaskone et Christophoro reperti fuerint propinquiores. In cuius rei &c.

## Mandatum ad Senior Armenos

Sigismundus &c.

Honoratis Advocato et Senioribus Armenis Civitatis nrae Leopolien Fid. nobis dilectis gratiam nram Regiam. Honorati Fid. nobis dilecti. Intelleximus quasdam domesticas differentias intercedere uxori relictae Famati olim Gregorij Jakubowicz cum filiabus ipsius ex eodem Gregorio procreatis in ijs si alterutra partium ope Fid. vram indigerit. Mandamus eisdem ut de illis inter easdem partes vel amice componant vel Judicium de plano tanquam in causa pupillari exerceant atq administrent illudq diligenter provideant ne partes praefatae aliquis utrinq orphanae et pupillae sumptibus non necessarijs et litium anfractibus onerentur. Facturi Fid. Vra rem officio suo convenientem et gratia nostra dignam. Datum &c.

## Mandatum ad Ius utrumq Crac.

Sigismundus &c.

Spectabilibus et Honoratis Advocatis et Scabinis tam Iuris Supremi Maideburg. Castri nri Crac. quam Judicij inferioris Civitatis nrae Crac. Fid. nobis dilectis gratiam nram Regiam. Spectabiles et Honorati Fid. nobis dilecti. Intelleximus inter Fid. vras quasdam dissensiones propter innovationem processum appellationum antiquitus in illa civitate observatorum esse exortas, ita ut utrinq plebiscita quaedam de quibus homines litigantes conqueruntur intercesserint quorum autem propter nram Crac. absentiam complanari hisce differentijs vacare non possumus ea vero res si ita diutius duraverit non exiguam hominibus litigantibus difficultatem allatura esse videtur. Ideo Fid. Vris seriis mandamus ut in utroq Judicio tam inferiori quam Juris Supremi in admittendis et remittendis protestationibus et appellationibus idem mos et processus servetur qui hucusq ante istas Fid. Vrarum novas ordinationes servatus fuit donec de eisdem Fid. Vrarum ordinationibus Judicium fecerimus si aliqua partium ex Fid. Vris de altera quid conqueratur habuerit id omissa ulteriore actione iudicialiter faciat nos vero de omnibus Fid. Vrarum differentijs quod iuris et iustitiae ratio postulaverit statuemus et decernemus. Pro gratia

nis officiorumque suorum debito. Fid. Vra secus ne fecerint.

## Libertatio domus

Sigismundus etc. Significamus etc.

Quod cum nobis Generosus David Hilchen Notarius Gene-
ralis Provinciae Livoniae et Sacrae Regiae Maiestatis Secretarius exposuisset
se domum certam cum agris hortis et areis ad eam spectantib.
iure haereditario a Reverendo Dno Ottone Schenking Epo Venden. acqui-
sivisse supplicaretque nobis ut non tantum eam emptionem ratam ha-
beremus sed etiam certis libertatibus communiremus. Porro eiusdem
Generosi Davidis Hilchen merita in nos Regnumque nrum cum et sin-
gulare in obeundis nostris servitijs studium tale est, ut illi hoc
quod petebat negare non possemus. Quapropter supplicationi praefa-
ti ipsius benigne annuen. de certa scientia nostra cum consensu
Senatorum Regni nri ad conventum praesentem congregator. In pri-
mis ius ipsius haereditarium per eum super domo praefata hortis a-
reis et agris ad eam spectantibus per omnia pro ipso perpetuo
et haeredibus agnoscimus emptionem illam ratam habemus confirmamus
et in omnibus punctis clausulis et articulis approbamus et ut maior
gra nra in eodem Davide appareat eandem domum temporibus per-
petuis ab omni iurisdictione civili terrestri castrensi Palatinali Ca-
pitaneali Praesidum eorumque officialium liberamus necnon eandem ab
omnibus oneribus exactionibus tam ordinarijs quam extraordi-
narijs Reipub. et Civilibus necnon ab onere excipiendorum hospi-
tum absolvimus liberamus et immunem prorsus facimus. Ita ut
praefatus David Hilchen successores eius et omnes eius domus pos-
sessores coram nemine alio praeterquam coram nobis de omnibus in-
iurijs tam personalibus quam realibus respondere teneantur. Licebit
quoque eidem Davidi Hilchen domum praefatam omnesque eius attinen-
tias sive in toto sive in parte nemine requisito vendere, dare, donare
commutare et quovis modo alienare sive Magistratui civitat. Rigen.
sive alteri cuipiam hominum nullius contradictione obstante. In
cuius rei fidem etc.

## Mandatum ad capitan.

Sigismundus etc.

Generoso Stanislao Zaliwsky Capitaneo Warss. Fid. nobis dile-
cto gratiam nram Regiam. Generose Fid. nobis dilecte Decreto nro
informatorio in causa cuiusdam enormis facinoris quod per quen-
dam Gallum Bulasovich subditum de villa Gotowsewo in eiacula-
tione sclopeti in damnum ipsius factum esse di pronunciavimus ut
Nobilis Joannes Wessel de Konradziecz eundem Gallum officio Fid.
T. praesentet quem Fid. T. tamdiu detinebit donec causa quae eidem
Joanni Wessel cum Nobili Laurentio Wessel occasione eiusdem ictus
intercedit determinata fuerit. Quare Fid. T. mandamus ut posteaquam